Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Veneris 2. Aprilis.

M. JOANNE DE BOURGES, Doctore Medico, Præſide.

An piſcium Cartilagineorum eſus Phthiſicis ſit ſalutaris?

PHTHISIS ſive adſcititia, ſive auctione hæreditariâ in prolem migret, eſt exulceratio pulmonis cum febriculâ levi, quâ corpus univerſum liqueſcit. Duplicem illa novit cauſam, unam quæ vitioſa eſt pulmonis conſtitutio, ſive ſubſtantia ejuſdem, ſed mollis, tenella, atque corruptioni parata, quo nomine conſanguinea tabes, vel ad eam vitio conformationis propenſio citiùs adeſt; alteram vero quæ acris exedenſque eſt è capite diſtillatio, aut humor acer, qualis autumno genitus è corde pulmone iadit, aut è venâ apertâ, exesâ, ruptâve exiliens ſanguis. Jam enim inflammatus, atque putreſcens laxam eorum compagem ſolvendo peſſundat. Sed ex quâcumque causâ tabes erumpat, ea ſuo ſubjecto ægrè mobilis ſemper, ſuis ſe ſatis prodit ſignis, terrificis ſanè, ſi capillorum effluvio fæda facies concidat, aut ſputa fœtore gravi abominanda ſint, dum enim ferit nares, cave à contage quam ἀνίατον ulcus minatur.

HORRIDULAM totius habitus maciem lenta febris inducit. Hujus cæco igne parenchymata viſcerum carpuntur, aliarumque partium carnea moles ſine doloris ſenſu confecta, adeò liqueſit, ut cùm ægro morbus quaſi connatus ſit, ille tunc tantùm febricitare ſibi videatur, cùm duabus circiter à paſtu horis ocyùs ſolitò pulſat arteria. Diceres alimentum ceu rorem incandeſcentibus locis, aut velut aquam calci affuſam, ſopitos ignes ciere, unde fervor, qui cordi primùm, & à corde quoquoverſùm eò citiùs communicatur, quò viſcus, ut eſt vitæ caput atque principium, parti primariò affectæ propiùs jungitur. An verò hic ignis extinguendus eſt? Adnitendum. An humor qui peccat eliminandus? Ne nimis confidas Pharmaciæ. Ut enim hæc vires tabidorum frangit, ſic illum venæ ſectione coercere velle nefas. At ſi vires atterendæ ſint, jactura ſaltem utilitate futurâ compenſetur. Monſtrum itaque demulcere præſtabit, quàm idem aperto marte adoriri. In id feret omne punctum victus ratio, quæ dum inſtituetur, tu videris, num ex ranis, teſtudine nemorali, vitulino pulmone ſorbitionibus, vel arefacti pulmonis vulpini pulveri locus ſuperſit. Quiſquiliæ enim ſi videbuntur, eæ tamen fidejuſſoribus non carent, penès quos omnis edicendi poteſtas eſſe debet.

ALIMENTUM ex viventium genere ſelectum, è plantis primùm, tum veró ex animalibus petitur, ſive terreſtria ſint aut volatilia, ſive degant aquis. Horum eſus, ſi quis alter, ſalubritate cæteris antecellit. Sed piſces ſe ipſis iterum ſalubriores. Marini fluviatilibus, hi lacuſtribus anteponendi. Fluviatiles Garumnæ, Rhodani, Sequanæ, Ligeris alumni, lentè fluentium Araris & Matronæ convictoribus aliis piſcibus præſtantiores ſunt. Sequana igitur ſemper ſanus, piſces etiam alit, qui ut ſuprà urbem, nullis bonitate cedunt, ſic infra eamdem populoſiſſimam Lutetiam, ſucci malitiâ à menſis abigendi ſunt. Marini triplicis ſunt generis, ſed qui Saxatiles, familiam ducunt; ſequuntur Pelagici, tum demum vitioſi ſemper Littorales. Ex illis duri primas tenent, ex quibus ſquammatos aliquot, oſtrea nimirum quæ boni ſucci; ſed ſi bene calculum poſueris, Cartilagineos potiſſimùm nec abs re probes.

CIBUS laudabilis eſt quiſquis boni ſucci, coctu facilis, ex æquo temperatus, conſiſtentiâ mediocris, nec ſtomacho gravis, εὐανάδοτος, paucique excrementi, explendæ tum fami tum ſiti ſatis eſt, & nutrit convenienter naturæ. Cartilaginei piſcis caro quoniam frigidula, & à ſalo ſeu ab origine, vel à ſale ſeu ab arte moderatè ſicca eſt, ea ſanè habet in ſe quidquid eximiæ dotis deſideratur, ut Phthiſicorum eſca ſalubris fiat. Volvitur idem ex conſueto alimento ſuccus. Is ſibi ſemper ſimilis ſuffectus, pejoris alterius locum ſubit, ſic ut tandem mutatâ rerum facie, multùm mutatus à ſeipſo videatur, qui jam tabi proximus erat, maximè ſi lac ſubſidio venit, ad quod paſcua idoneis ſtirpibus, virgultis-ve caprearum deliciis luxurient; tum vero aër ad ſiccitatem leniter inclinans concurrit; qualis Tabiarum ad Neapolim, vel agri Pariſienſis ad arcem Vincennarum ſpectans; quippe qui Oriente Sole nitens & æquabilis, nec boreâ perflatus omninò, in phthiſim pro penſis vel jam tabe primùm affectis accommodatus eſt.

ULCERIS curandi ſcopus ſiccatio eſt. Hanc in ulcere pulmonum tantò magis intereſt adminiſtrare, quantò magis madenti cerebro ſubjecti & ſitu declives; audiunt inſuper tanquam ſanguiſugum viſcus, rarum, molle, tenellum, atque adeò excipiendæ labis maximè compos. At piſcium caro ut eſt ὀλιγότροφος, & pauci excrementi, ſuperfluam in illis quantacumque ſit, ſanguinis ſeroſi copiam caſtigat. Immò cum è chyloſi, quâ carnes piſcium liquantur, vix ſuperſit quod in locum affectum currat, ſplendet tandem ſpirabile organum, atque ſi quis ardor inuſtus, Cartilagineorum opportunâ temperie, illius progreſſus arcetur, tum verò aſcitâ non minùs quam nativâ ſiccitate deterſio atque agglutinatio locum occupant. Sic enim pulmonibus robur ſive temperamentum, ac gratia redit, nec non quæ penè hærebat lateri lethalis arundo, nullius Dictami Cretenſis ope, ſed Cartilagineorum piſcium uſu dumtaxat, ultrò cadit.

Ergo piſcium Cartilagineorum eſus Phthiſicis ſalutaris.

Proponebat Pariſiis MICHAEL PICHONNAT, Stampanus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1683.